

3

DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA
DE
MATRIMONIO PUTATIVO
ET ILLIUS ACCUSATIONE.

QUAM
IN ALMA ET PERANTIQUA UNIVERSITATE
COLONIENSI
SOLENNI SUB PRÆSIDIO
*Prænobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum & Dominorum*

D. FRANC. GABRIELIS HAMM
J. U. D. Professoris Ordinarii & Publici

ET
Venerandæ Facultatis Juridicæ Dictatoris
NEC NON

D. JOANNIS PETRI WIRTZ,
J. U. D. Professoris Ordinarii ac Publici
ejusdemque Facultatis Fisci.

Pro Summis in utroque Jure Honoribus ac Doctoralibus Privilegiis
more majorum obtinendis.


Publicæ Eruditorum Disquisitioni submitte
JOANNES ADOLPHUS REUSCH Montensis ex Glad-
bach, Presbyter, Professor Montanus.

Anno MDCCCLXXI. Die 23 Maji horis & loco consuetis.

COLONIÆ EX TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS.



Wyon sc. Col.



REVERENDISSIMO PERILLUSTRI AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO

JACOBO ANTONIO JOSEPHO
BEHREN,

Perinsignis Collegiatæ ad S. ANDREAM Canonico Capi-
tulari, Antiquissimæ apud Ubios Gymnadis Montanæ Regenti Vigi-
lantissimo, Almæ hujus Universitatis ac Generalis Studii Colonientis
Rectori perquam Magnifico, Fautori ac Patrono jugi obser-
vantia Colendo.

Vir Amplissime, Rector perquam Magnifice!



Cum primi conatus mei juridici, quos edere debeo pro obti-
nendâ in utroque jure licentiâ, incidant in auspiciissi-
mum tempus, quo Amplissimæ Magnificentiae Tuæ
concrediti sunt fasces Universitatis Ubicæ ac Studii gene-
ralis, tempus & conditionis meæ ratio exigunt, ut in
principio conatûs mei à te principium faciam, id quod faciam, si conce-
dat Magnificentia Tua, ut tenuissimam hanc paginam Tibi dedicem,

utinam verò talis esset momenti, ut per hanc aliquid Tibi oblatum dici mereretur, ast non etiam hoc facio, quòd ego aliquis aut exile hoc opusculum ponderis cujusdam videri velim, sed ut aliquòd gratæ reverentiæ specimen, quam in conjunctam Tuam cum Amplitudine Magnificentiam debitam foveo, proferam, & quomodo non proferre auderem? Te enim Præsidentem Vigilantissimum veneratur Antiquissima Gymnas nostra, cujus filius sum, Te colit dignissimum Caput suum collegium nostrum professorale, cujus pars minima sum, Te demùm Rectorem suum Magnificum profundè suspicit tota Universitas, cujus ultima inter membra reparator, præterea studia Tua in me collata & multa & magna (quæ venerabundo silentio involvere liceat) inculcant mihi obligationem, ut indignum hoc folium Tibi dicatum habeam, quo faustum initium, celerem progressum, fortunatum exitum labores mei sortientur, modò consuetis favoribus, quæ Tuos ornare amas, fovere eos digneris; fove igitur & fave. Sine conatus meos de Tuo gaudere patrocinio, quo confusus subnecto Votum ex reverentiâ & affectu natum, ut Tuâ sub vigilantia, quam probat Montis nostri decor & vigor paternâ Sollicitudine Tuâ quantum auctus, diù floreat studia nostra, Tuâque sub prudentiâ & curâ in pace, in tranquillitate, in incremento tota vigeat Universitas, Paucis: regimen Tuum, faxint Superi! sit undique beatum

Ita vovet

Studentium Tuorum

Infimus

REUSCH.



DE MATRIMONIO PUTATIVO.

§. I.

PRæter communem matrimonii definitionem : quod sit conjunctio maris & foeminæ ad individuum vitæ Societatem ex §. 1. *Justit. de patr. potest. putativum* describi potest *matrimonium inter conjuges, qui legitimè conjungi non possunt ob impedimentum dirimens inter eos latens bona fide, publicè, seu in facie Ecclesiæ, & absque contradictione initum* ; quod proinde *matrimonium putatur esse, revera tamen nullum est. Cap. 2. qui filii sint legit. differt putativum à vero, quod hoc* adhibitis suis requisitis validum subsistat, illud tanquam sub debitis Solennitatibus contractum validum credatur, & non sit, quoad effectum autem *verum æmuletur*. Quem non à valore intrinseco, sed à bonâ fide contrahentium potissimum habet. Differt putativum à *presumpto*, sicut *verum*, quod *presumptum* subsistebat solâ præsumptione juris, Sponsis fortè de matrimonio non cogitantibus. Exemplum est in Sponsis, qui contractis Sponsalibus de futuro concumbunt, quos jura actuale potius matrimonium contrahendi gratiâ, quàm animo fornicario ad se invicem accessisse præsumunt, nè peccatum præsumerent, ad quod evitandum Sponsi censebantur ante rem habitam purè contraxisse ; quod procedebat ante Concil. Trid., aut etiam ibi, ubi de facto receptum non est ; *putativum* verò supponit consensum non præsumtum, sed explicitè & revera præmissis præmittendis editum.

§. II.

Requiritur autem ad *putativum* I. *ut persona actualiter conjunctæ legitimè conjungi non possint*, quòd in gradu prohibito ignorantes matrimonium publicè contraxerunt *Cap. II. cit. tit.* vel quòd maritus vivente adhuc primâ secundam duxit uxorem, hujus rei ignaram, II. *Bona fides* si non utriusque saltem alterutrius contrahentium, quo casu ignorantis impedimentum bona fides potior aestimatur quàm scientis malitia, *Cap. pen. cit. tit.* & quousque uterque vel pars ignara in ignorantia manet, eo usque effectum putativi retinet hoc matrimonium; quàmprimùm ignorantia desinit, quòd error compertus sit, vel impedimentum probatum, ex hoc tempore cessante bonâ fide effectus matrimonii putativi quiescunt, & nisi discesserint Conjuges, & abstinuerint à matrimonio ob ulteriorem cohabitationem plectendi sunt *L. 4. Cod. de incest. & inut. nupt.* quoad effectum legitimandi prolem bona fides aestimatur secundùm tempus conceptionis, & licèt Justinianus in *L. II. Cod. de nat. lib.* velit inspicere tempus editionis, ubi de statu liberorum quæritur, subjungit tamen tempus conceptionis, magis approbari, si ita infantium utilitas exoptulet, quod verò in hoc passu utilius sit pro prole tempus conceptionis, quàm nativitatis, evidens est, ponamus enim: post contractum *bonâ fide* matrimonium uxorem concepisse, & paulò post innotuisse impedimentum, ut tempore partus sciant matrimonii sui nullitatem, si jam tempus partus inspicere tur, partus foret illegitimus, & vergeret in detrimentum liberorum, quod eorum utilitati datum est.

§. III.

Bonæ fidei non obstat *error facti*, qualis est, si conjuges nesciant se esse consanguineos, neque *error juris*, nempe si sciant consanguinitatem, non autem prohibitum in hoc gradu matrimonium, quod verum est non solum si sit error juris dubii, obscuri, & controversi, cujus error æquiparatur errori facti, & istius adinstar excusat, & bonam fidem ad ipsam etiam præscriptionem sufficientem producit, *Panormit. in C. de quarta 4. de præscript. n. 12.* sed etiam licet sit error juris

liquidi *Gonzalez in Cap. 2. n. 4.* quia matrimonium hoc à conjugibus in Ecclesiæ facie, bonæque fide initur, cum præviis denuntiationibus ad detegendum impedimentum publicè propositis & cum ignorantia juris inculpatâ, vel cum peccato non conjunctâ, contrahatur, adeoque effectum matrimonii solemniter, bonæque fide initi operari meritò dicitur; quod confirmatur Apostolicâ authoritate Gregorii XIII, qui consulebatur inter plura aliâ Maronitis, an matrimonium quod conjugum unus propter adulterium ab altero commissum, ab adulterante divertens cum alio iniverat, ferret prolem legitimam, & resolvit, esse legitimam ex tali natam, consequenter illud habere effectum putativi, & subintrare constitutionem *Cap. 2. § XIV. qui filii sint legit.* tamen si initum esset contra clarum textum Apostoli: *Uxorem à viro divertentem; manere innuptam, aut viro suo reconciliari præcipientis.* 1. *Corinth. Cap. 7. v. 10.* quod memorati Summi Pontificis responsum in dictæ nationis Synodo anno 1579 publicatum refert *Pignatelli Tom. 6. Consult. 41. n. 75. § 78.* multò minùs bonam fidem turbat error, si factum judicis, licet nulliter procedentis, accedat, cujus occasione partes causam nanciscuntur credendi, se justè matrimonium contraxisse, quia id authore judice Ecclesiastico initum est, sicut est in *Cap. 8. tit. cit.* Ubi maritus per longum tempus aberat, & mulier ad divortium agebat, marito non comparente tandem Episcopus in conspectu Ecclesiæ auditis etiam mulieris rationibus sententiam divortii tulit contra id, quod statuit Pontifex in *Cap. XIX. de Sponsal. quantocunque numero annorum ita remaneant viventibus vivis suis, non possunt uxores ad consortium aliorum canonicè convolare nec authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium receperint de morte virorum.* Ergo expectandus erat maritus, proinde divortium contra jus fiebat, nihilominus Pontifex liberos, ex secundo matrimonio nulliter contracto natos, legitimos dixit in *cit. cap. 8.* quòd mater ad ejus consummationem authoritate Episcopi processerit, & judicis authoritas excuset à dolo, ergo injustus error hìc non nocet errantibus, minus alteri ab iis, nimirum proli ex his natæ *L. 155. de reg. jur.* quod verò non procedit, si ageretur contra jus naturale, ut si ex linea ascendente, & descendente, vel fratres & sorores matrimonialiter jungi vellent, quia
jus

ius naturæ unicuique sana explicat ratio, ut frustra hinc ignorantia præ-
tendatur. Regulariter ignorantia præsumitur, nisi scientia probetur
per *reg. 47. de reg. jur. in 6.* quæ si non probatur, eo ipso probata
censetur ignorantia.

§. I V.

Arguuntur è diametro malæ fidei conjugés, si ignorantiam affectent,
affectata enim ignorantia impedimenti scientiæ ejusdem æquiparatur
arg. L. 6. ff. de jur. & fact. ignorant. Unde si ante Matrimonium dubita-
rent, an impedimento sint affecti, ineantque stante hoc dubio (si du-
bium sit prudens, & fundatum, secus si foret inanis scrupulus, moti-
vo certo facilè elidendus) sinè debitâ inquisitione Matrimonium, malè
agunt, Sacramentum nullitati temerè exponentes, quòd negligent rem
examinare quo facilè venirent in noticiam impedimenti, & illo postea
detecto, hoc Matrimonium effectus putativi non producit ob defectum
bonæ fidei in parentibus, *Cap. 2. de temp. ordinat. in 6.* Quid si post
contractum & consummatum Matrimonium parentes de impedimento
dubitarent, an statim abstinendum est ab usu Matrimonii? R. I. ad le-
vem animi anxietatem de consilio Episcopi parochi vel confessorii facilè
deponendam usus Matrimonii non fit illicitus *Cap. 44. de sentent. ex-
com. 2.* Utrique conjugi scienti, vel probabiliter dubitanti, fit illicitus,
Cap. 2. de secund. nupt. 3. Si unus sciat, vel prudenter dubitet, alter ig-
noret, vel non dubitet, scienti nullatenus, dubitanti tantùm licitus est
ut parti petenti satisfacere debeat *Cap. 13. de restit. Spol.* Si accusaretur
Matrimonium, an conjuges statim sunt in malâ fide? R. mala fides non
sequitur ex accusatione, nam mala fides est scientia impedimenti, quam
nemo dicet conjuges habere eo ipso, quo quis matrimonium accusat
nullitatis, licet per litem contestationem bonæ fidei Possessor in malâ fide
constitui dicatur, etenim hoc est quoad fructus restituendos à tempo-
re, quo res in judicium deducta fuit per *L. 2. Cod. de fruct. & lit. ex-
pens. Brünemann ad L. 22. Cod. de rei Vind.* Non verò quoad pos-
sessionem rei deoccupandam, aliàs quilibet ad solam adversarii peticio-
nem jus suum indefensum relinquere deberet contra *L. 40. ff. de hæ-
redit. petit.* Sicut ergo possessor manet in possessione rei, super quâ ipsi

lis

lis mota est, donec probata est injusta ipsius possessio, sic conjuges non statim separantur ad præsentem nullitatem matrimonii sui, sed probatam, & relinquuntur in possessione conjugii per *Cap. 2. ut lite pendente*, nec sanè ecclesia permetteret ipsis possessionem, vel usum matrimonii, si per litis contestationem fierent malæ fidei possessores, unde sequitur matrimonium putativum manere tale usque ad sententiam definitivam, quia *cit. cap. 2.* requirit *accusationem*, seu nullitatem *probatam*, quæ ante sententiam, aut, si ab eâ appelletur, plenè probata non est, nec facit, quod conjuges motâ lite possent suspicari fortè matrimonium suum esse nullum, nam, quia hoc ante judicis decisionem dubium est, justè resolvant: in dubio melior est conditio possidentis.

§. V.

Requiritur III. *ut parentes publicè sinè contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur, Cap. 2. qui filii sint legit.* quod duo involvit: imprimis ad matrimonium putativum necesse est, ut sit contractum secundùm formam, à Concilio Tridentino *Sess. 24. Cap. 1. de reform. matrim.* præscriptam; nempe coram parochò & testibus, (puta ubi Concil. Trident. est receptum; deinde non debet contrahi, nisi præmissis trinis bannis, sive denunciationibus, vi *Cap. 3. de clandest. despons.* ubi dicitur: *si quis verò hujusmodi clandestina matrimonia, vel interdicta, inire præsumserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium*, nec dici potest, quod concilium Trident. ad matrimonium (ut clandestinum non sit) præscribens novam formam, id est præsentiam parochi & testium, remiserit trinas Denuntiationes abrogando constitutionem Innocentii III. in *Cap. cit.* ex Concilio Lateranensi IV. 1215 habito, & quidem ex *Cap. 15* depromptam, sed istius Concilii vestigiis in hærendo præcipit, *ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parochò tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publice denuncietur.* Quibus denunciationibus omissis (nisi id justâ de causâ, seu auctoritate Episcopi factum fuerit) præsumtio est contra contrahentes,

tes, quòd non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiaè habeantur, cum callidè omiserint trina banna, quæ ad detegenda impedimenta adhiberi statutum est; ergo non excusantur, quòd non sciverint impedimentum suum, quòd secundùm mentem Ecclesiæ procedentes facillè scire potuissent; multò minùs juvantur, quòd nesciverint trinas denunciationes esse præmittendas, quia hoc publicum est, cujus ignorantia non excusatur, quia in publicè notis scientia præsumitur, & notorium tollit ignorantiaè præsumtionem; ad hæc contumax præsumitur, qui clam agit, non qui palam, *L. fin. ff. de rit. nupt.* siue ergo conjuges ignorantes impedimenti contraxerunt in formâ indebitâ, siue ambo impedimentum scientes præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ, contrahere præsumpserunt, *cit. cap. 3. de clandest. despons.* in utroque casu propter defectum bonæ fidei non est matrimonium putativum.

§. VI.

Si ergo conjuges legitimè impediti cum bonâ fide, & in facie Ecclesiæ matrimonium iniverint, hoc vocatur putativum, ex quo liberi nascuntur legitimi, quibus si quis post decessum parentum quaestionem statûs moveret, ei non sufficit probare parentes fuisse impeditos, *Cap. 11. qui filii sint legit.* modò publicè contraxerint; sed insuper mala fides est probanda. Quoad successionem nati ex putativo non differunt à natis ex vero, nam parentum facultatibus nutriuntur, succedunt in bona parentum, *Cap. 2. tit. cit. etiam parentis, qui fortè in malâ fide fuit, Sanchez de matrim. Lib. 8. disp. 32. n. 46.* tam in allodialibus, quàm feudalibus *Müller ad Struv. exercitat. 38.* & si hæredes instituuntur ab eo, qui credebat eos natos ex justo matrimonio, institutio non corruit, *Menoch. de præsumpt. L. 4. præsumpt. 24. n. 9.* sic quoque maritus in justo errore constitutus jus maritale in uxorem, vitii haud ignaram rectè exercet, secùs, si maritus esset in dolo, & vitium sciret. *Strick. ad U. M. Jub. tit. de rit. nupt.* vice versâ conjux putativus succedit Liberis, quia Successio parentum & Liberorum mutua est. si ex putativo nati sint legitimi, an etiam antea nati per subsequens matrimonium putativum legitimantur? Negativè, vis enim legitimandi attributa

tributa est matrimonio vero, quale non est inter conjuges putatitios, ex quorum peccato liberi maculam ferunt, quæ non nisi per verum tollitur, licet ex putativo nati sint legitimi, hoc enim non est propter matrimonium, sed ob bonam fidem contrahentium, in qua & in formâ debitâ conjuncti sunt, & omnia fecerunt, quæ facere debebant, ut iis nil possit imputari. Si tamen proles nata esset ex consanguineis, qui nesciebant se tales esse, impetratâ dispensatione illam per subsequens matrimonium legitimari arbitratur *Engel*, eo, quod ex formali incestu nata non sit, & verum superveniat matrimonium. quid si conjuges in errore: se esse consanguineos; cum tales revera non sint, contraherent? Quid de prole ex iis editâ censendum? Tales in bonâ fide non esse contendit *Leuren. Lib. 4. tit. 1. quest. 90.* cum tamen illegitimitas non à solâ malâ fide parentum dependeat, sed præterea matrimonium debeat esse invalidum, quod tamen in nostro casu validum est, talis proles esset legitima. Matrimonium putativum contingit quandoque impugnari, quæ impugnatio vocatur *accusatio*, quod causa matrimonialis ob arduitatem cum criminali comparetur. *Boëhmer in Jur. Ecclesiast. Protestant. ad tit. qui matrim. accus. possunt*, impugnatur ex capite nullitatis, quæ est vel *absoluta*, & facit, ut ob legis prohibitionem nequidem inter conjuges volentes matrimonium subsistere possit, v. g. ex consanguinitate orta nullitas; vel *secundum quid talis* quæ ob privatum interesse matrimonium quidem dirimit, inter volentes tamen permittit, v. g. nullitas ex capite doli, metûs &c. orta, sic impedimentum vel est *privati juris*, quod ad arbitrium læsi spectat, ut ei renunciare possit vel *tacite*, vel *expresse*, *Cap. 4. qui matrim. accus. possunt. vel publici juris*, quod delictum alic, ob quod absolutam operatur nullitatem; si impedimentum sit privati juris, & solorum conjugum putatitiorum interest, hi soli agunt, non tertius, cui opponetur exceptio; *tua non interest*, si quis enim Bertam volens, per errorem Cajam accepit, detecto errore agere potest; si nolit agere, juri suo renunciat, & denuò consentiendo impedimentum tollit, quod facere præsumitur, si cognito errore cognoverit Cajam. *Gonzalez in Cap. fin. h. t. n. 3. Cap. 4. in quo casu non lædens, sed læsus agit.*

§. VII.

Si impedimentum sit publici juris, & tale, in quo de Genealogia agitur, ut in consanguinitate, affinitate, publicâ honestate, in *Can. 1. Caus. 35. q. 6.* Primo ordine veniunt proximiores consanguinei. *pater, mater, frater, soror, patruus, avunculus, amita, matertera, & eorum procreatio, ideo enim maximè parentes, & his deficientibus proximiores admittuntur, quoniam unusquisque Genealogiam suam cum testibus & chartis tum ex recitatione majorum scire laborat, Cap. 3. qui in matrim. accus. poss.* Si autem tota progenies defecerit, ab antiquioribus & veracioribus, quibus ea propinquitas nota est, Episcopus Canonicè perquirat, ita cit. *Can. 1.* Si aliud impedimentum subsit v. g. clandestinitas, &c. conjuges, consanguinei, aut extranei accusare possunt, præsertim quorum interest, sic in *Cap. 1. de iis quæ vi metûsque causa.* Priorissa cum Monialibus Marrimonium ex capite religiosæ professionis antea à Conjuge emissæ impugnavit, & audita est. Nullo agente, si fama spargatur conjuges impedimento Canonico laborare, iudex de veritate ex officio inquirere debet, *Zoës ad tit. qui matrim. accus. poss. n. 6.* Nè aliqui sub speciè matrimonii enormia delicta perpetrent. Ab accusando repelluntur 1. ex odio, & malitiâ accusantes, cujus præsumtionem ferunt minantes accusationem, nisi conjuges tribuant pecuniam, *Cap. 5. h. t. resistentes tali impugnationi probare debent, quod quæstûs gratiâ fiat, quia delicta non præsumuntur, Reiffenstuel ad tit. cit. n. 4. 2. cum statim, ut denunciations factæ sunt, quivis graviter tenetur impedimentum, si quod sit, etsi id solus sciat, etiam sub secreto naturali, juramento firmato, Sanchez Lib. 3. disput. 13. n. 21. absque gravi tamen præjudicio suo revelare, Covarruv. de spons. p. 2. Cap. 6. §. 10. n. 21.* Inde repellitur, qui post factas denunciations tacens contractum demum Matrimonium accusat, *Cap. fin. cit. tit.* Nisi ob absentiam, infirmitatem, deficientem ætatem impeditus fuerit, aut juret se jam demum expertum esse impedimentum, nil obstat tamen, quod ipse repulsus alteri revelet impedimentum, ut Matrimonium accuset, revelantem enim repellit taciurnitas, non eum, cui revelatur, cum is inculpabilis est

Cit.

Cit. cap. fin. 3. Repelluntur conjuges, quando post cognitam nullitatem in eorum arbitrio positam Matrimonio usi noscuntur, *Cap. 4. cit. tit. 4.* Qui non personaliter, sed tantum per literas accusant. *Cap. 2. h. tit.*

§. VIII.

Impugnatur matrimonium putativum tanquam causa matrimonialis (in cujus decisione non legibus, sed canonibus statuitur, *Zypaeus in analys. jur. Pontif.*) coram iudice Ecclesiastico, quem qui recusat, anathemate percutitur à *Concil. Trident. Sess. 24. Can. 12.* involvit enim rationem Sacramenti, super quo saeculares non habent, quod judicent, *Cap. 2. de judic.* ut adeo, si causa principalis coram iudice saeculari ventilatur, & incidit quaestio de valore Matrimonii, causa remittenda sit ad iudicem Ecclesiasticum, quia, etiam causa connexa, exigente iudicis inhabilitate dividenda est, *Cap. 3. de ord. cognit. Cap. 5. & 7. qui filii sint legit.* Contra, si in causa spirituali occurreret quaestio non spiritualis de dote, alimentis &c. non est, quod remittatur incidens ad iudicem saecularem reservata spirituali, sed iudex Ecclesiasticus, utriusque capax, utramque finiet, *Cap. 1. qui filii sint legit. Cap. 3. de Donat. inter vir, & uxor.* Dicta procedunt de quaestione juris v. g. an Matrimonium, ex quo natus quis est, fuerit legitimum, non de quaestione facti, an quis natus sit in Matrimonio, quod confirmat *Gail. Lib. 1. obs. 112. n. 17.* ubi dicit causas Matrimoniales ad Cameram non pertinere, & in causa quadam appellatum ad cameram, sed appellationem admissam non fuisse. ... haec causa autem non cuivis iudici Ecclesiastico, inferiori, nec Decano, nec Archidiacono, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquatur, *Concil. Trid. sess. 24. Cap. 20. de reform. Matrim. V. ad haec.* Consequenter iudex est Episcopus, vel ejus Vicarius absque speciali mandato. *Cap. fin. de cognat. spirit. Cap. 1. de Frigid. & malefic.* Sede vacante est capitulum, in quod transit jurisdictio Episcopi, cujus confirmatione indiget Vicarius, ut agere possit; quibusdam etiam Abbatibus exemptis, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in territorio suo exercent, haec potestas competit, *Riccus in Decis. Cur. p. 4. decis. 184. Concilium Trident.*

enim excludit inferiores, qui in certis causis Episcopo sunt subiecti, atque cum matrimonialis causæ decisio non ab ordine Episcopali, sed jurisdictione dependet, dubium non est, quin hæc jurisdictio vel concessione vel præscriptione vel consuetudine ad inferiores venire possit, *Fagnanus in Cap. 12. de excess. prælat.* sic de facto Archidiaconus Bonnensis aut ejus Officialis, cum Officiale Colonienſe in causis matrimonialibus habet jurisdictionem concurrentem, quousque districtus Archidiaconalis extenditur; item in Ducatibus Jul. & Mont. vj transactionis inter Ferdinandum Archi-Episcopum Colonienſem & Wolffgangum Wilhelmum Jul. & Mont. Ducem Decani rurales in suis Decanariis (excipe pagos Colonientes iis subiectos) causas matrimoniales in primâ instantiâ decidunt.

§. IX.

Impedimentum cùm magni præjudicii sit, luce meridianâ chariùs probandum est, *L. fin. Cod. de probat.* quod verum est, quoties agitur ad matrimonium dissolvendum, si verò ad impediendum agitur, sufficit semiplenè probari per testem, aut famam *Cap. 2. de consanguinit. & affinit.* cum enim per semiplenam probationem res fiat dubia, in dubio tutior via est eligenda & abstinendum à matrimonio, an verò impedimentum latens inter conjuges actu tales plenè probatum sit, arbitrio judicis relinquatur, *L. 3. de test. §. 1.* qui contra matrimonium semiplenè probavit, ad juramentum suppletorium non admittitur; si quis verò pro matrimonio semiplenè probasset, & jurare velit, consideratis qualitatibus, circumstantiis, candore personæ, quæ inferiorem, vel æqualem in matrimonium petit, hoc permitti posse vult *Panormit. in Cap. 34. de jurejur.* sic juramentum voluntarium contra matrimonium à parte parti delatum non valet, quia non est in potestate partium matrimonium dissolvere, hinc transactio (in aliis causis dubiis suadenda, non valet super matrimonio, *Cap. fin. de Transact.* nec compromissum, *Cap. pen. de restit. in integ.* secùs, si juramentum pro matrimonio parti à parte deferretur in impedimento privati juris, v.g. ero uxor tua, si juraveris me metu coactam non fuisse, quia tunc valet, quasi de novo contrahatur matrimonium propter consensum con-

ditio-

ditionalem, quæ conditio non impedit matrimonium contrahi, *tot. tit. de condit. appos.* potest probatio fieri per testes duos, omni exceptione majores, juratos, &, si à parte iis remissum esset juramentum, in hujus generis causis ex officio judex id à testibus recipere debet. *Gail. Lib. 1. obs. 101. felin. in Cap. 6. de probat.* Sic etiam testes publicatis jam depositionibus adhuc recipi possunt. *Cap. 26. de test.* contra regulam testes esse possunt proximi consanguinei, parentis testimonium tamen in suspicionem vocat *Vallensis ad b. t.* si alter conjugum divitiis, honore, nobilitate & potentiâ prævaleret, quandoquidem expertum est parentes filiorum incremento studere, testis etiam esse potest, qui denunciavit judici impedimentum. . . testes autem non jurare debent 1. se nec odio, nec amicitiam, nec commodo habito vel habendo induci ad testandum, 2. se rem, sicut dicunt, accepisse à majoribus seque credere ita esse, *Cap. 5. de test.* quid si ipsi conjuges confiteantur impedimentum? Propria confessio optimè probat, nisi suspecta sit, sicuti hic est, nam conjuges se invicem exosi facile possent colludere fingendo nullitatem, ut separantur. *Cap. 5. de eo qui cognovit,* quæ suspicio cessat, si tale dicunt ad dispensationem impetrandam, cum jam in gravamen suum non favorem testes sint. Re post examinationem dubia manente, aut si jus controversum sit, judex potius pro matrimonio pronuntiabit *arg. Cap. fin. de Sentent. & re jud.*

§. X.

Ut causa celerius absolvatur, proceditur summarie rejectis inutilibus exceptionibus, seu dilationibus, *Clem. 2. de judic. Clem. 2. de verb. signif.* Et licet modò sententia super impedimento, vel nullitate prætensa, lata sit, si tamen novæ probationes emergant, quod subsit, vel non subsit impedimentum, pro re natâ conjuges separabuntur, vel separati rursus conjungentur, sententia enim vel pro Matrimonio vel contra illud lata interim quidem effectum suum habet, quousque non demonstratur rem aliter esse ac sententiâ definitum est, quia alioquin judicium foret elusorium contra *L. 75. ff. de judic.* At sententia hæc in rem judicatam non prolabitur, quia semper admittit probationem contrarii; ad hæc partes non appellantes in sententiam

entiam consentire non præsumuntur, tum, quia nulla sententia potest propter animæ periculum peccatorem in peccato defendere, & perinde oportet matrimonium contra Legem DEI contractum dissolvi, quàm legitimum confirmari, tum, quia consensus talem in sententiam est super materiâ, quæ ab arbitrio partium non dependet, scilicet Sacramento. *Cap. 7. § II. de Sentent. § re jud.* tanti ergo momenti est sententia super valore vel nullitate matrimonii lata, ut eâ tamdiu stetur, donec legitimè probetur contrarium *cit. Cap. 11.* Nec facillè admittendum à iudice eum, qui sententiam in causâ matrimoniali latam vult oppugnare, nisi iusta causâ iudicem moveat, putat. *Gail. Lib. 1. Obs. 112. n. 10.* & qui duas conformes in hoc genere causarum impugnat, non nisi cum exactâ causæ cognitione audiendum esse, notat *Panormit. in Cap. 6. de frigid. § malefic. n. 21.* à contrario sententia transit in iudicatum in casu, quo de partium privato jure agitur, ut consensui eorum quid tribui possit, dein etiam, si non appellatur, illius enim observantia non nutrit peccatum, & per lapsum decendii non appellans videtur denuo consentire in matrimonium *Cap. 15. de Sentent. § re jud.*... quando impugnetur putativum, perinde est, nam matrimonium ab initio invalidum non reconvalescit tractu temporis, nec impedimentum tollitur, si quis tamen 20 vel 30 annis post obitum conjugum eorum Matrimonium vellet accusare, videlicet ad excludendum ab hereditate filium, cum jam cesset peccatum conjugum, juris civilis dispositionem (quo lapsu 30 vel 40 annorum extinguitur actio civilis) intrare posse vult *Engel. n. 12. qui. filii sint legit.*

§. XI.

Si demum de nullitate putativi constet, pro diversitate impedimenti Conjuges, si volunt, ab invicem recedere possunt, modò id fiat cum præcitu iudicis, hujus enim sine autoritate separati, etiam certi de impedimento, ad rursus cohabitandum compelluntur, per *Cap. 3. § 4. de divort.* Interim tamen continentes sint. Nam quot mala sequerentur, si conjugibus propria autoritate recedere liceret, consideranti patebit. Recedere nolentes cogendi non sunt, si nullitas per dispensationem, aut alio modo sanari possit, quod ex æquitate
curare

curare tenetur, qui mala fide foeminam deceptit. *Engel de divort.*
 §. 1. Quo casu Matrimonium revalidatur, atqui si nullum fuerit
 propter defectum consensûs, quod unus ex conjugibus fictè con-
 senserit, utriusque consensus renovandus, ex unâ parte enim nullus
 erat, ex alterâ parte erroneus, pariter si super impedimento dispen-
 satum sit, quod una pars ignoravit, uterque denuò consentire de-
 bet in Matrimonium, ad quem finem pars nullitatis huc usque ig-
 nara de hac cautè certioranda est, ut tamen origo nullitatis reticea-
 tur propter odia &c. quæ sequi possent ex impedimenti revelatio-
 ne E. g. Si esset impedimentum criminis *Reiffenstuel* §. 13. de re-
 validat. *Matrim.* Neque opus est in revalidatione Matrimonii pu-
 tativi renovare præsentiam Parochi & testium, si impedimentum
 tam occultum sit, ut probari non possit, quia constat de Matrimo-
 nio publicè contracto, quin constet de impedimento nullitatis, quod
Navarr. probat ex declaratione Pii V. Quæ habet; oportet sublato impe-
 dimento denuò Matrimonium contrahatur, quod fieri potest sine ulla pa-
 rochi & testium præsentia. Si impedimentum probari possit per duos
 testes, & ita evadere publicum, reiterandam esse præsentiam paro-
 chi & testium in eo conveniunt omnes, hoc ipso enim, quod
 palam & in foro externo sciatur prius Matrimonium fuisse nullum,
 de novo publicè contrahi debet, nè dum publicè constat de nullitate
 Matrimonii prioris & non de consensu renovato, tale Matrimonium
 posset accusari. . . . Si autem nullitas sit insanabilis, conjuges sepa-
 rantur, & uxori dos & marito donatio propter nuptias restituenda
 est, *Cap. 1. de Donat. inter Vir. & uxor.* Cum enim veri conjuges
 non fuerint, dos & donatio propter nuptias locum non habet, *L.*
3. ff. de jur. dot. Et utriusque nomine data restitui debent, quia
 datum ob causam, causâ non secuta, revocatur *L. 1. condic. caus.*
dat. Modò contraxerint impedimentum ignorantes, aliàs dotem cum
 donatione tollet fiscus, *L. 4. Cod. de incest. nupt.* Nisi minor ætas
 excuset. Dos restituenda est integra, estque respectu uxoris putati-
 tiæ privilegiata *L. 22. ff. in fin. soluto Matrim.* Non respectu viri, nam
 Privilegium competentia competit tantùm Marito vero, non puta-
 tivo, cum concessum sit ob reverentiam maritalem, qualis non de-
 betur

betur marito putativo, *Pichler de Donat. inter vir. & uxor.* Bona ergo in Matrimonium illata utriusque manent, & post separationem conjugum, aut si decessit, ejus hæredibus restituntur; quoad bona stante Matrimonio acquisita, nota, quæ uni conjugum sine respectu alterius obvenerunt, illi soli manent. Quæ utriusque intuitu comparata sunt hæreditate vel donatione, conjuges dividunt, *Cap. 2. de Donat. inter vir & uxor.* Quæ per negotiationem aut emptionem ex pecuniis utriusque conjugum acquisita sunt, iis æqualiter cedunt, *cit. Cap. 2.* Etiam ea, quæ æquali solertiâ, industriâ, parsimoniâ & conjunctis laboribus comparaverunt. *Reiffenstuel ad tit. cit. §. 3.* Quæ solâ viri industriâ, arte, studio aut officio congesta sunt, ad virum pertinent, præscindendo à Statutis Patriæ vel pactis Conjugum, ipso jure enim bonorum communio inter conjuges non inducitur, *Barbosa & plures in Cap. cit. 2. de donat. inter vir & uxor.* An valet donatio inter conjuges putativos? si uterque ignoraverit impedimentum, non valet, non propter legem prohibentem donationes inter conjuges, sed propter errorem, donans enim conjugum putativo donat ut conjugum, qualis non est. *Wiestner ad tit. cit. nec valet, si donatarius sciat conjugum nullitatem, quia iterum errat donans, dum putat se donare conjugum, Molin. disput. 200. n. 12.* Proinde donatum donanti aut post mortem ejus hæredibus restituendum est. Si donans nullitatis conscius sit, valet donatio, quia donans verè consentit in donationem, cum sciebat donatarium non esse conjugem, adeoque quasi extraneo donavit *Arg. L. 53. ff. de R. jur.* His relictis effectibus Matrimonii putativi instat

F I N I S.

O. A. M. D. G.



COROLLARIA

1.
Legislator ipse non est subiectum legis ab eo latae.

2.
 Ad essentiam legis nihil confert illam à subditis acceptari.

3.
 Legitimus per subsequens matrimonium frustra præendit bona primogenituræ obnoxia.

4.
 Usufructuarius proprietario salvam substantiam debet restituere.

5.
 Juramentè personalia adhærent ossibus eorum, quibus sunt concessa.

6.
 Hæres fiduciarius bona fideicommissio obnoxia possidet quæ verus Dominus.

7.
 Iudex in dando tutore terminos jurisdictionis suæ non excedat,
 pater

pater in testamento firmiter constituit eum , qui eidem cum eo
judici non est subjectus.

8.

Depositarius in periculo rem suam salvans, Depositam exitio relin-
quens agit contra officium suum.

9.

Qui dolo rem alienavit, illum jura fingunt adhuc possidere & con-
tra eum dant rei vindicatoriam.

10.

Substitutus in Casum, si non possit esse hæres, tamen velit, cedit
hæredi ab intestato venienti.

11.

Filiusfamilias quoad peculium castrense non subiacet patriæ potestati.

12.

Rationes plures prohibent donationem inter Conjuges.



& uxor. Bona
 parationem con-
 quoad bona stante
 respectu alterius
 comparata sunt
 de Donat. inter
 pecuniis utrius-
 Cap. 2. Etiam
 junctis laboribus
 la viri indu striã,
 tinent, præscin-
 jure enim bono-
 osa & plures in
 tio inter conju-
 m, non valet,
 ges, sed prop-
 t conjugii, qua-
 rius sciat con-
 at se donare con-
 donanti aut post
 is nullitatis con-
 t in donationem,
 oque quasi ex-
 elictis effec.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

TIFFEN® Color Control Patches
 © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray

TIFFEN® Gray Scale
 © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
	R	G	B				W	G		K				C	Y	M			